Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26360
Copyright: Admont, Benediktinerstift



tuntur quibus duricia penetratur. Ex arcu iudi
cii sagittę mittuntur ad perimenda uicia. et
alię quę uulnerant karitate. Anima autem quasi
signum est ut hinc suscipiat uulnera kari
tatis. inde repellat iacula inimici. Colo.
Deleth timor interpretatur. Unde. A timore
tuo domine concepimus et peperimus spiritum salutis.
Ursus insidians. i. diabolus in membris. leo
in abscondito. i. in se ipso. qui circuit querens
quem deuoret. desolatam scilicet a deo. Deleth.
Te tendit arcum suum. scilicet iudicium. i. scriptu
ram. et posuit me quasi signum ad sagittam. i.
undique percutienda. timoris uel amoris uel
cuiuslibet actionis. He. Misit in renibus
meis filias pharetrę suę. Dominus iusto iudi
cio quasi arcu diu tenso mittit tandem in
renes sagittas. filias pharatrę. ut eorum
libidinem puniat de quibus dicitur. Unusquisque ad
uxorem proximi sui hinniebat. Per pharetram
occultum dei iudicium signatur. quo nabucho
donosor et alii contra hierusalem. quasi sagittę
diriguntur. ut exposita quasi signum uul
neretur. Quam cum propheta obsessam increparet.